



Bibliographische Daten

Titel: Epitaphium Reve-||rendi Viri D. Philippi Melantho-||nis, Scriptum
Ersteller: Heinrich Moller
Signatur: 9 an Strob. 8. 1858

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der [Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0](#) uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.



Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

9.

EPITAPHIVM REVERENDI VIRI D. PHILIPPI MELANTHONIS, SCRIPTVM AB

HENRICO MOLLERO HESSO.



HVIC VViteberga gemens dedit ossa Melanthonis
 In patris exequias officiosa sui. (urna,
 Qui Brettae claris uirtute parentibus ortus,
 In Palatini quae ditione iacet,
 Huc in Saxoniã felici sydere uenit,
 Accitus precibus Dux Friderice tuis,
 Tunc ut syncera de relligione Lutherus
 Teutonas inciperet ritè monere suos.
 Cumq; bonis animi, cum rerum maximus usu,
 Cumq; potens cunctis artibus ille foret.
 Quas homini inscitiam contra, moresq; ferinos,
 Monstrauit summi cura fauorq; Dei.
 Non modò solerti triplices indagine linguas
 Excussit, luci restituitq; suae.
 Nec modò perspicuis pulchrâs rationibus artes
 Tradidit, in somni distribuitq; fide.
 Sed quoq; concordii iuuit pietate Lutherum,
 Vt benè susceptum perficeretur opus.
 Vt sacra relligio, synceraq; gloria Christi,
 Staret ab infirmi libera tota situ.
 Quem dominatricis uecors audacia Romae
 Turpiter in sacras accumularat opes.
 Hunc uariè contra pugnavit & acriter hostem,
 Cum sectis alacres conseruitq; manus.
 Hoc dum uoce docet, dum scripta fideliter edit,
 Dum firmat ducibus templa scholasq; suis.
 Hoc in colloquijs, hoc in conuentibus egit,
 Ipsius hoc studium, summaq; cura fuit.
 Sic Christum docuit multas agnoscere gentes,
 Sic Claria innumeros imbuit arte uiros.
 Dum uelut ex gaza preciosis diuite rebus
 Ex pleno Aonias pectore fudit opes.
 Insuper exemplo senibus, teneraq; iuuentae,
 Et uitae & morum dexteritate fuit.
 Nil nisi suauis erat bonitas, & candor apertus,
 Nullus in ipsius pectore liuor erat.
 Quin commune bonum, promptusq; minister egētum,
 Omnibus optati quin uice patris erat.
 His tamen ipse bonis, lustra in commune laborans
 Penè nouem, raro præmia digna tulit.
 Imò à discipulis, cuculos imitantibus, atrox
 Vulnus in innocuo nomine passus obit.

Secli fama sui, uirtutum splendor, & amplum
 Sanguinis Aonij Teutoniciq; decus.
 Vt tres bisseis cum lustris uixerat annos,
 Totq; dies, Maius quot geminatus habet.
 Sic igitur uir tantus obit, sanctasq; frequentat,
 Ad uita metas illius usq; preces.
 Amplectente fide meritum uenerabile Christi,
 Speq; bona, & uiui plenus amore Dei.
 A quo nunc superam coeli repetitus in arcem
 Spiritus, aeterni munus honoris habet.
 Nomen at effugiens Lethen, & funeris exors,
 In terris celebri laude superstes erit.
 Donec erunt pietas, & honesta gloria uitae,
 Donec in Arctos defluet Albis aquas.
 Atq; hac in tumba placidè sacra mēbra quiescent,
 Dum ueniat cunctis gentibus illa dies.
 Quae manes tumulis educet hiantibus omnes,
 Vt decus ex meritis opprobriumue ferant.

Tempus obitus 1560.

Nocte Vbi Consvmpta svrgvnt ex Pleiōe nata,
 FVnctvs es heV Vita sanCte PHILippe tVa.

ÆNIGMA DE ANNO MOR-
 tis eiusdem.

Belligera Diuæ superest inuisa quot ales
 Secla, Gyges fertur quot tenuisse manus,
 Lata quot obliqui sunt sydera partibus orbis,
 Quot Lyra luminibus, maior & Vrsa nitent,
 Soles quot medio pendentibus æquore nidis
 Incubat Halcyone matris imago pie,
 Quot rota falciferi senis annis tota mouetur,
 Vnam ortam demas si sine matre Deam,
 Tot per signa means bis sex uariata figuris,
 Sol nato à Christo clausit Olympiadas:
 Albidos ab ripis ubi notus ad astra Melanthon,
 Hinc Diuum ad sedes iussus abire fuit.
 Ios: à Pinu.

VVITEBERGÆ

1560.